

www.e-rara.ch

D. Thaumaturga Einsidlensis

Betschart, Paul

[Einsiedeln], anno ... 1665

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24550>

Caput IV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CAPUT IV.

TEMPESTATEM

MARIS JACTATI, ET MER-
si fluminibus, auxilio Deiparæ è
fluctibus, variisque undarum pe-
riculis eripiuntur.

*STella nimirum Maris exoptata nau-
fragis, Virgo Maria est, quæ pericli-
tantibus, & ad Sacelli Heremitani
aram, veluti ad sacram anchoram pijs
votis confugientibus serena saepe illu-
xit, tempestatem sedavit, fluctibus
mersos eripuit, & è diversis aquarum
periculis ad portum feliciter deduxit.*

I.

CHristi anno 1562. Ioannes Ferne-
 rius Abbatis cellâ Helvetiæ pago
 ortus Compostellam voti & reli-
 gionis ergo, cum viæ peregrinationis-
 que socijs aliquot petiturus navem
 conscenderat. Iamque è portu in al-
 tum secundo vento proVecti erant :
 cum coorta repente sævissima tempe-
 stas turbare mare, ciere fluctus, jacta-
 re navem, & præsens omnibus mina-
 ri exitium. At contra illi demerso jam
 propè navigio animos ad cælum erigere
 & in mediis fluctibus fiducia, in Deipa-
 ram nequaquam fluctuare : sed in præsi-
 dio. Virginis Heremitanæ spei an-
 choram jacere, & unanimi consilio, vo-
 toq; eius opem implorare. Adfuit illa
 periclitantibus : sedatisque extemplò
 fluctibus, & procellis, cæloque & ma-
 ri serenitate sua reddita portum navis
 tenuit. Igitur altero apud D. Iaco-
 bum soluto voto, ad alterum quoque
 in Heremo solvendum se convertère,
 & ex Hispaniis recta ad Heremum iter
 intenderunt palàm professi, nisi Virgi-
 nem nostram, seu Maris stellam prius
 suspexissent, Compostellam se non vi-
 suros fuisse.

II.

TRajecturus Ioannes Waldis ex Weggis, qui in littore Lucernensis agri pagus est, cum duobus sociis altero nautâ, milite altero lacum erat, quem Lucernensem à primario Catholicæ Helvetiæ oppido, cujus frontem ambit, Rusamque fluvium, qui urbem interlabitur, ibidem effundit: vel 4. pagorum, quorum omnium fines alluit, lacum appellant. Navigantes à secunda primùm aura, atrox deinde tempesta excepit, quæ adeo desæviit, ut subitâ procellâ, & ventorum vi eversus momento temporis lembus ad certum exitium in fluctus præcipitaret aquis hauriendos. Actum haud dubiè de eorum salute erat, nî Deiparæ in Heremo imploratum ab uno è tribus auxilium saluti omnibus fuisset. Eius enim ductu, & auxilio sine navî, & remis è mediis fluctibus stupentes delati fuere ad ripam. Igitur è vestigio ad Heremum appropinquare gratias suæ liberatrici relaturi, ubi tantum beneficium tres simul omnes confessati sunt, ut trium testimonium indubitatum posterorum memoriæ redderetur.

Rap-

III.

R Appersuilla ad alteram lacus Tigurini ripam situ amœnum, & natura munitum oppidum est. Solvens ex eo littore cum Rappersuillano cive Petrus Sartor, Lachen Marchiæ Suietorum ditionis ad alteram è regione ripam vicum lembo repetebat. Iamque haud procul ab littore aberant, cum adversus repente exortus ventus retrò cymbam egit tantaq; vi frustra renitentibus procella incubuit, ut in orbem primum circumacta navicula, deinde obruta fluctibus, & mersa vectores quoque in fluctus demerserit. Quatuor & amplius horas jactati, & colluctati cum fluctibus Divam in Heremo Virginem inter procellas, & undas supplices tendentes manus inclamare non cessabant: sed ad vicinos, qui ad Heremum ipsam haud procul inde distantem ducunt montes, unde auxilium veniret sibi animos, oculosque levabant, neque destitère, precib⁹ miscerè vota, donec miserata eos pia Domina, fluctibus, certoque mortis periculo ereptos ad ripam deduxit. Quam Virginis benignitatem Petrus VIII. Id. Mart. in Heremo gratulabundus

bundus exposuit conservatam eiusdem interventu sibi vitam professus.

IV.

Biennio post in Acromio quoque lacu Deiparæ Numen, pietasque enituit. Brigantinus quidam Vdalricus Hochspil cum filio, & tribus nautis navem ridicis, seu palis ad vites sustentandas fabricatis in fasces colligatis oneratam Brigantio Rumishorn versus remis agebat. Cum jam Argem amplum ad lacum Comitum à Monte forti vicum superasset turbulenta adeo, & sæva navem adorta subito tempestas est, ut exagitata ventis, procellis, & concussa oneraria dilabi vectores omnes, & ejectis ac fluitantibus palorum fascibus adhærescere cogerentur incertam salutem ex certo periculo quæsituri. Sed cum fasces oneri impares cum insidentibus mergi cœpissent, duo è vectoribus Navarchi consilio navem extemplo repetunt, reliqui dum per trepidationem in ancipiti periculo non satis pro se quisque deliberant, palorum fascibus fixi hæserunt, & ad eos quos fors ferret casus ventis se, & procellis commiserunt. Igitur toto jactati lacu mortis
tota-

toties expectatæ metu exangues pluribus horis fluctuabant. Sed ubi ridicarum aliquot fascies non jam vitium, sed hominum sustentacula vehementior fortè procella disjecit procul, trepidisque eripuit: tum verò in extremo veluti rerum articulo, iis destituti, quibus eousquè nitebantur, ope jam niti Divinâ cœperunt. Ad vota igitur conversi Deiparentis in Heremo opem crebrò ingeminant, precibusque addunt votum nudipedes se & pane solum & aqua victitantes ad Heremum peregrituros. Vix votum nuncupant cum disjecti palorum fascies mox cæteris, quibus jam ægrè sustentabantur, denuò advolvi, arctèque connecti. Quorum illi adjectu jam contra vim fluctuum tutiores ceu nave tractibus compactâ vecti Rumishornæ littus feliciter tenuerunt, ubi salvi quidem omnes, sed metu ac frigore penè exanimis appulsi, postquam calore, ciboque refecti fuere onerariam deinde etiam, quam ventis jactatam, & fluctibus longo post se intervallo reliquerant vicinorum ope appulsam conspexere, altero, qui in navi hæseratmerso, & exanimi: ut hujus mors servatæ
 alio-

aliorum vitæ beneficium illustrius faceret. Quæ omnia Ioannes Froyveis & periculi socius, & miraculi testis ex soluto in Heremo voto, in publicas relata tabulas memoriæ consignavit, ut documentum esset omnibus, imploratum Deiparæ auxilium etiam in deploratis rebus præstò esse.

V.

Lacus est haud magnus in Suitiorum agro ad radices eius montis, in quo templum D. Annæ sacrum, frequentia, & miraculis etiam celebre: quem Loverciacum dicunt, antiquæ arcis, quæ Præfectorum receptaculum fuit, olim excisæ ruderibus visendum. Ad eum Fridolinus Hesel Ruguscus patriâ, qui Ægidio Ziltenero Suitensi civi serviebat, piscatum egressus, aquis per brumale tempus ex parte gelu adstrictis, in lubrico solo gradum ponere ausus per duratum glacie lacum ire cœpit: progressum è ripa longiùs, subsidente, & disruptâ repentiè glacie medium lacûs hausit. Ibi ille diu eluctari conatus, & corpus attollere, & emergere annixus, & aliquantum sæpe emergens, eodem sæpe relabens exitio proximus erat. Nam apprehensa

E

utra-

utraque manu glacies, continuoque rupta, & elapsa manibus eluctandi conatus eluserat. Igitur dum in lubrico & ancipiti hæret, & metu simul, ac frigore cohorrescit, ad Beatam Deiparentem in Heremo solidam magis spem vertit, eiusque opem lachrymabundus implorat. Nec mora, cum Divino magis nutu, quam adventu fortuito à supervenientibus tanto ereptus periculo emerfit, haudquaquam emersurus, nisi tamdiu eum vis Divina servasset, quoad afferri ei auxilium humanum posset.

VI.

AGebatur annus 1598. cum ipsa etiam Heremus in suorum periculis Patronæ suæ experta Patrociniū est. Sebastianus Büchser Heremi civis, & incola pridie D. Martini, cum pluribus aliis se Lindemago fluvio commiserat. Oritur is apud Glaronenses, Marchiamque, & Castra perfluens, deinde in lacum Tigurinum se exonerat: è quo emergens, mediumque Tigurum interlapsus Arolæ primū, brevi deinde intervallo Rheno miscetur. Itaque dum Rheno, jam cum comitibus navigat Sebastianus, insolitus prius in-

cesse-

cessere hominem metus cœpit, quàm miserabilis ea naufragii incideret calamitas: quo ceu imminentis mali præfago pavore cùm vehementer cohortuisset, licet secundo vento, & flumine navigans, quid expavesceret ignarus, ad omnem tamen casum Deiparæ in Heremo sese commendavit, ut quidquid demum impenderet discriminis, benignè averteret benigna Mater, seque incolumem reduceret in Heremum patriam suam, ex qua tot exteris etiam variè periclitantibus sua benignitate sæpe affulsisset. Hæc rogans illicò vocem à tergo monentis audire sibi visus, res suas extemplò colligèret, neque cunctaretur, si salvas vellet. Mox itaque suas, quæ inter reliquas impostæ navi erant, sarcinas conquirere, & ad se sumere. Vixque collegerat cùm subitò navis illis latentibus sub aquis scopulis diffracta, & dissoluta est. Quo inopinato casu plerique aquis haustæ vitam, & opes, quas secum vexerant, perdidere: cùm vix ille, qui periculi præsciens erat, evasisset. Diu enim & ipse undis raptus, & horæ spatium delatus flumine tandem oblato fortè remo, Divino tamen innixus magis au-

xilio, salvis simul rebus suis omnibus salvus ipse opitulante eadem, quam ab initio invocaverat, Virgine fluctibus ereptus in tutum sistitur. Id quod ille domum rediens gratulabundus exposuit, asseverans non rediturum se fuisse ad Heremum patriam, nisi Deiparam Heremi Patronam opitulatricem habuisset.

VII.

Millesimus, sexcentessimus, novi sæculi primus annus, novis Deiparæ in Heremo beneficiis illuxit. Clemente Octavo eius nominis Summo Pontifice ad anni sæcularis, quem Iubilæum vocant, celebritatem iugens hominum multitudo omnium prope nationum Romam confluxerat. Hos inter è Germania Philippus à Kömerstal, Ioannes Christophorus à Wessenburg, Ioannes Bernardus à Falckenstein, Ioannes Christophorus à Bernhausen nobilitate juxta, & pietate insignes Peregrinorum more eò profecti erant. Qui peractis ob quæ venerant, pietatis officii in patriam redituri ex itinere Lauretuni divertere, ubi Augustissimam Deiparæ Natalem Domum summa religione venerati Mari Adriatico secrescere petituri Venetias. Sed foedissimâ

simâ subito coortâ tempestate, coelo-
que atris obducto nubibus & ipsam di-
ei, quæ 14. Iunii erat, lucem in horribiles
vertente tenebras incumbentibus pela-
go ventis, usque adeo navis jactari pro-
cellis, involvi fluctibus, undis obrui
cepit, ut exitio proximi essent. Cæ-
terum imploratum efflictim ab omni-
bus Dei in Heremo Matris, ceu Ma-
ris Stellæ auxilium Maris periculum
avertit. Sedatis enim extemplò flu-
ctibus, & remittentibus sese ventis ad
portum salvis omnibus prosperè ap-
pulsâ navis. Monumento publico me-
morati nobiles rem gestam voluere te-
statam, ut documentum simul esset,
vento, Marique periclitantibus ad Here-
mi Patronam veluti ad sacram Ancho-
tam confugiendum.

VIII.

Subidem tempus quatuor aliis impari
genere natis, sed pari in periculo
versantibus succurrit Dei Mater. Brun-
næ, ad caput lacûs Lucernensis Suti-
orum vico indigenæ quatuor navem
conscenderant Gereonis-Augiam dex-
tri littoris pagum petaturi. Cumque
eum, ad quem tendebant, ferè locum
attigissent, contrarius subito ventus

ea vi adversari navigantibus coepit, ut non modò cursum averteret, sed raptâ primùm Subsylvaniam versus navi, auræ impetu deinde etiam eversâ navigantes omnes in fluctus eijceret. At illi ejeti è schapha erigunt ad Deum animos, unanimumque voto, ac voce Deiparæ in Heremo opem comprecantur. Quæ præstò periclitantibus fuit, opemque tulit. Nam gubernante eâ mirabiliter è lacu salvi emergere omnes, ne guttâ quidem aquæ, in mediis aquis admisâ, quod occultâ vi constricta sibi teneri ora, ne aquas imbiberent, viderentur. Auxit miraculum, quòd inter eos uterum ferens Mulier non solùm salva ipsa educta ad portum, sed partum etiam ex tanta jactatione, & periculi metu incolumem paulò pòst enixa esset. Quæ idcirco dupplici titulo, de sua & prolis pariter salute grates retulit Deiparenti, ut quæ suo interventu, & Matri prolem, & proli Matrem conservasset.

IX.

Biennio pòst duo piscatores in lacu, qui Tugium oppidum alluit V. Calend. Febr. schaphâ vecti piscationi intendebant. Hos cùm vehemens subitaque

taque procella frustra reluctantes unà cum navi demersisset, profundo hærentes spe tamen non hæsitabant, sed conversis ad Virginem nostram animis eius opem de profundis implorare adjecto voto ad Heremum continuò, si emergerent, invisuros. Nec mora: emerit exemplo navis cum nautis, littusque salvos excepit testes in omne ævum futuros, non frustra vel abyssò merfos respicere stellam, & invocare Mariam.

X.

UNdecimo huius sæculi anno Susanna ex nobilibus Hundbifs à Waltrams orta in altissimam aquarum voraginem, nescio quo casu, prolapsa in extremo versabatur vitæ discrimine. Nam neque expedire se, & emergere ex aquis ipsa poterat: & auxilium ferre conantes vortex simul, & vorago morabantur, dum illa interea fluctuans luctabatur. Et fessa jam, ac viribus deficiens succubitura erat, cum inops auxilii, Divam Heremitanam precibus, ac voto inclamat, & suam illi, quæ in arcto posita esset, salutem commendat: se ex periculi magnitudine beneficium æstimaturam, & peregrinationem ad sa-

eram Heremi ædem suscepturam: & tantæ benignitatis deinceps nunquam non memorem fore. Auditas fuisse preces mox eventus ostendit. Nam primùm ne animum desponderet moneri sibi visa, deinde ab valente viribus, & robore viro, qui ignotus, & improvisus advenerat, apprehensa, & momento temporis è voragine educta in tutum sistitur. Liberata repentè, & extracta è gurgite, dum periculo se planè defunctam videt, nec tamen, qui liberaverat, comparet usquam, Deiparam Liberatricem agnoscens suam, ad Heremum contendit, votivisque tabulis rem gestam inscribi voluit posteris monumentum simul, & documentum.

XI.

ANnus Christi 1625. uti multorum in Arula flumine naufragio pereuntium luctuosus: ita quorundam ope Divæ Einsidlenfis servatorum miraculo insignis fuit. Friburgi Helvetiorum, cùm ex urbe ipsa, tum ex omni circum viciniâ Sanâ, qui id præterlabitur oppidum, fluvio, plurimi diversi statûs, ac sexûs suorum quique negotiorum causâ navem conscenderant Certiacum

tiacum (Zurzachium vulgò) haud ignobile Helvetiæ emporium petituri. Iam Sanam emensi, & Arulâ, in quem aquas ille simul, & nomen dederivat veçti, ad Aroviam Bernatium oppidum pervenerant, cùm navis repentino casu, seu nautarum socordia fuit, eâ vi pontis, quo flumen sternitur, impacta est tignis, ut disrupta tabularum compage contracta dissilierit. Naufragorum alij undis hausti puncto temporis demergebantur. Pars in ipso enatandi conatu abrepti vorticibus miserè perièrè. Alij alios remorati, dum suæ quisque consulere salutem annititur, etiam alienæ obfuerunt, alterique alteros mordicè apprehensos, & eodem discrimine implicatos in idem pariter secum exitium pertraxerunt. Erant inter eos quatuor antiquissima Helvetiæ nostræ urbe oriundi, quos in D. Virginem religio, ac pietas, & suscepta ad Heremum peregrinatio navigationis comites adjunxerat. Hi ad primam instantis periculi trepidationem attollere ad Virginem nostram animos, & rogare: ne se sineret perire in via, cujus ipsa causa esset: ex illâ ipsa, quam peterent Heremo, jam se auxilium petere

tere, præire vota votis, jamque illic mentibus omnes esse, quò corpore ire etiam quisque contendisset: ne igitur & illi perirent naufragio tendentes ad Heremum, quam sibi salutis portum constituissent. Cordi fuit Deiparæ suorum salus. Nam eius interventu è medio pereuntium, quos undæ, & vorrices hausere, naufragio erepti, atque ad ripas deducti fuere omnes tantò maiori beneficio, quò miserabiliore casu cæteri periere.

XII.

Eodem Anno Hilarius Grueber Lachenensis locis Terræ sanctæ magnæ religionis, & pietatis peragratis è Palæstinâ redux magnum, quod in mari discrimen adiit, Divæ nostræ auxilio discussit. Sæva, & turbulentissima in alto tempestas exorta in ultimum periculum navigantes adduxerat. Furientibus ventis, & exæstuante pelago, ita navis jactabatur fluctibus, atque procellis agitabatur, ut disruptis velis, & antennâ, prorâque diffractâ, abyssu haurienda jam jam crederetur. Ipse quoque Navarchus animos despondens, vi tempestatis gubernandi artem frustrante, interitum denuntiaverat:

Cùm

Cùm triginta sex totas horas inter horribiles sævientis pelagi minas, & præsentis mortis metum pavidi versarentur, Hilarius Deiparæ in Heremo veluti certæ periclitantium Auxiliatricis memor eiusdem opem ferventissimè in-clamat. Et extemplò sedatis fluctibus, & mitescente pelago semilacera navis gubernante Virgine, salvis & rebus, & hominibus omnibus portum tenuit, quantumque spei in præsidio Deiparæ collocandum, è præsentiliberati interitu comperere omnes.

XIII.

SEquenti post anno idem beneficii genus in pari discrimine 3. Calend. Novemb. consecutus cum sociis Clemens Levv Sanctione Rheni oppido ortus. Lauffenbergâ Sanctionem (Seckin-gam) navigantibus, cùm in conspectu id jam oppidum esset, navis & sarcinarum pondere nimiùm onusta, & vehementis procellæ concussa vi ever-sa, merces, hominesque in Rhenum effudit. Sarcinis profundo haustis, cùm vectores navem, quæ alleviata pondere emerferat è fluctibus, apprehensam tenere, & ad se quisque trahere cœpissent

omnes

omnes, eversa denuò, & mersa est, duobus è nautis simul submersis. Reliqui quatuor, quibus præter mortem reliqui nil erat, sociorum haud dubiè subituri sortem erant: nisi Nauclero consulente, & præeunte verbis, votisque D. Heremitanæ opem contentione, quâ poterant maximâ, implorassent. Eius enim extemplò opitulante manu miro modo ad ripam advecti incolumes, salutem suam secundùm Deum Deiparæ adseveruere.

XIV.

Sanctionem ad nundinas è vicino pagus viri duo, quorum non produntur nomina, Rheno advecti, cum expeditis, ob quæ venerant negotiis, in popinam concessissent, quod diei reliquum erat, magnamque noctis partem computando absumpserunt. Multâ demum nocte solventes secundo Rheno devehuntur. Per tranquillum flumen delabente schaphâ, securos animi vectores, vinoque graves somnus utroque cepit. Igitur destituta remis, & nautarum gubernaculo cymba, sibi que permessa, pagum, ad quem vino, somnoque sopiti vectores tendebant, præterlapsa, ad horæ spatium ultra, & cò-
usque

usque defertur, ubi periculosus Rheni
trajectus, & vortex navigantibus for-
midabilis occurrit. Quo involuta, &
abrepta subito schapha evertitur, effu-
sis simul utrisque in Rhenum vectori-
bus. Qui aquarum murmure soluti
somno, non prius extremo sese circum-
ventos periculo inopinantes, & pavidi
conspexerunt, quam ad certum exiti-
um, quod uti ante non præviderant,
ita præcavere jam non poterant, abripi
vortice, & hauriri fluctibus cœpere.
Itaque eorum alter momento tempo-
ris demersus, ne semel quidem eniten-
do, nusquam deinde amplius compa-
ruit. Alter apprehensæ naviculæ ad-
hærens, hæc illacque jactatus similem
cum socio subiturus sortem haud du-
biè erat. Sed dum non tam cum un-
dis, quam cum morte ipsa luctatur,
Virginis Heremitanæ cogitatio subijt,
cujus quando imploratum auxilium
nunquam non prodesset, neque tum
quidem sibi de fore credebat. Vix vo-
tum Virgini nuncuparat, cum vortex
remittens, & in stagnantis aquæ mo-
rem placatus, cum navi sensim ho-
minem dimittit incolumem, cum per-
eunte socio alioquin procul dubio peri-
turum.

F

Sub

XV.

SVb idem tempus in Rhodano fluvio
 etiam Divæ nostræ Numen, & Virtus
 manifestè comparuit. Gaspar Stockalper
 Briggenfis Valesianus, unà cum equo
 Rhodanum, haud procul ubi in Le-
 mannum lacum influit, trajicere pa-
 rabat. Ver erat: quo tempore rapi-
 dum natura fluvium solito rapidio-
 rem solutæ in montibus nives fecerant.
 Iamque è ripa lembum solverat, cum
 perstreptentium undarum turbine con-
 sternatus equus feroci insultu in Gaspa-
 rem fertur. Qui mox cum equo è na-
 vicula effusus, eidemque innexus, u-
 terque deinde in fluctus demersi, ad
 unius teli jactum flumine rapiuntur.
 Volutati aquis, veluti profundo mer-
 si, nec unquam comparituri amplius,
 oculis spectantium in littore sæpe sub-
 ducebantur. Moxque conspectui uter-
 que redditi: cum jumenti jubas, col-
 lumæ tenens Gaspar opem ab præsen-
 tibus in ripa frustra ingeminare perge-
 ret. Itaque tantâ constrictus necessitate,
 & in singula momenta expectans in-
 teritum, ad Heremitanam postremo
 conversus anchoram flebili voce com-
 pellans Virginem facto voto obtesta-
 tur.

tur, ut periclitanti succurreret, eriperetque fluctuantem de profundis aquarum. Dilatum auxilium fuit, ut beneficium luculentius fieret. Tam enim & hominem apprehensis jubis equo inhaerentem, & equum luctando simul, & collo incumbentis onere fessum vires deficere, jamque is cervicem submittere, contrahere pedes, & fluctibus abripi. At Gaspar in novam denuò spem erectus, iterata voce votoque opem Deiparæ contentiùs inclamat. Ibi tum verò equus veluti recenti refectus pabulo rapidissimis undis denuò obniti resumptisque viribus, & erecta cervice per adversos fluctus adnatate ad ripam. In quam licet multò altior esset, quàm ut ab ullo superari integris etiam viribus equo videretur posse, è flumine magno saltu prosiliit, seque simul, & herum in tutum stitit, paventem ex tanto periculo, juxta & miraculo attonitum.

XVI.

Eodem anno Henricus Iocherer Enfishemio Alsatia oppido oriundus Lauffenbergæ id temporis Sacellanus secundo Rheno navigans, obruta subita procellæ vi, navicula, mersisque, &

Rheno haustis, qui simul cum eo erant; solus is setvatus, qui votum nuncupans imminenti periculo Divæ Heremitanæ se commendarat. *Evenère hæc & plura alia suo loco exponenda anno 1631. quo Dedicattonis Angelica celebrata solennitas. Ut peregrinantium ad Heremum frequentiam, & pietatem, suâ è contra pietate, ac favore, & beneficiorum frequentia remunerare Deipara, & suam tot admirandis eventis in Heremo presentiam omnibus, qui religionis ergo presentes ibidem comparebant manifestam denuò facere voluisse videatur.*

XVII.

Eodem tempore Amalia à Keppenbach, Susanna à Breitenlandenberg, cum alijs pluribus nobilibus fæminis apud Burgundos exulabant per belli turbas, & metum hostium è Germania, patriâ & domo sua profugæ. Sed cum inde quoque per invadentium armata manu hostium pavorem pulsæ, in Helvetiam unicum ferè per ea tempora exulibus asylum perfugissent, Gransonæ conscensâ navi Neoburgensi lacui in Bernensium ditione Neobur-

burgum petitori impositis unâ rhedis, suppellectile, & rebus suis se commiserunt. Ortus sub vesperum adversus navigantibus ventus, & atrocissima tempestas non modò cursum avertit, sed cum remos ac vela disjicisset, nec regere navem, neque ad ullum appellere littus poterant nautæ. Iactatâ igitur diu toto lacu sine velorum, & remorum usû, impedimentâ eijcere, atque exonerare navim parantibus nautis, complorantes & in singula momenta mortem præstolantes faminæ, mergendâ jam jam ex ingruentibus, ac obruentibus fluctibus, & solutâ infrâ compage oppletâ aquis navi, ejulatus postremò ad Beatam Deiparentem in Heremo converterunt, peregrinationis votum singulæ nuncupantes. Statimque secundâ aurâ exortâ subitò sublata denuo ab navigantibus vela implent navem salvâ unâ cum hominibus, ac rebus omnibus gubernante Deipara prosperè detulit ad portum eò admirando magis eventu, quòd furentibus toto reliquo lacu ventis, vix ad sequentis diei vesperam sequuta tranquillitas esset: & non nisi singulari Virginis favore veluti secundâ

dâ aura navis è periculo erepta mirantibus ipsis acatholicis nautis, ut qui re ipsa compererant magnum Deiparæ in liberandis sibi supplicibus, quod ipsi hæctenus parvipenderant, subsidium.

XVIII.

PRæsentis sæculi anno 46. ingenti prorsus miraculo puer quidam Rhæni abreptus fluctibus Lauffenbergæ servatus. Interluit id oppidum Rhænus, scinditque medium: & ubi pons jungit, interceptas angustis faucibus undas, spumantesque fluctus ingenti fragore per scopulos præcipitat: unde à præcipiti fluminis lapsu Lauffenbergam Germani denominavere. Paullò supra oppidum, ubi navium statio est, pueri cœquales aliquot mense Julio clam parentibus, invitante per anni tempus solis æstu lavabant. Eorum quidam Balthasar Frick, civis filius incautè à ripa longiùs natando proVectus aquarum impetu abripitur. Moxque frustra contra vim rapidissimi fluminis nitens cataractam versus, undis rapitur. Præsentis involutus exitij periculo miserabili voce opem ingeminat. Exciti clamore oppidani supra pontem frequen-

quentes adfuere. Cæterùm quando eò jam delatus puer flumine erat iunctis innixus, ut suppetias ferre ulla ratione, cùm omnes maximè vellent, nemo posset: ideo pro se quisque inclamare, & hortari periclitantem Divinum uti auxilium, quod jam unum superesset, imploraret, Divæque Heremitanæ sese impensè commendaret. Simulque præire votis, & mater præsertim pueri, quæ trepida quoque accurrerat, eidem lachrymabunda filium devovebat. Iamque ipse etiam puer, & clamantium hortatu, & suo ipsomet periculo supplices visus ad cælum tendere manus, & opem comprecari Divinam, cùm paulò infra pontem: ut ex magnitudine discriminis beneficij magnitudo eluceret, repente absorptus vortice diu videri desit. Tandem sublatis manibus emergens denuo, iterumque devolutus, & miserabiliter jactatus, spectantium oculis sæpe subtrahitur, sæpe redditus, tandem per rapidos, canosque perstreptus cataractæ fluctus præceps abreptus spumantibus undis mergitur, universis actum de puero conclamantibus. Sed dum opinione omnium collisus scopulis, aut flu-

stibus haustus creditur, haud diu post ductu Virginis infra pontem, ubi defervescente vortice restagnat flumen, ad ripam placidè delatus est, etiam non modo vivus, sed incolumis, ac nil læsus universo stupente oppido comparuit, inaudito eò loci ab omni retrò hominum memoria eventu. Quem luculenter depictum votiva tabella exhibet, veluti crepti è tanto periculo pueri ope Virginis monumentum, & periclitantibus omnibus fiduciæ in Virginem exemplum singulare.

XIX.

Eodem anno Salomon Tüggelin è Lachen Marchiæ sinistra lacus Tigurini ripâ vico, cum parvo filio schaphâ piscatum evertus mense Martio. Quo tempore aquæ per asperitatem proximæ hyemis adhuc dum adstrictæ gelu, sed flagrantiore jam per vernum tempus sole resolvi cæperant. Vbi piscationi intendit, liquescentis glaciæ moles cymbæ illisa eam repentiè obruit, evertitque. Effusi uterque pater & filius glaciæ trepidi adhæserunt: sed ubi ea, quam pater tenebat, pars rumpi, & subsidere, ipseque mergi cæpit, puerum

rum utcumque sustentantem sese manu sibi ut porrigat, jubet. Cæterum id conatus filius, subitoque eodem simul implicatus periculo mergor ô pater, mergor miserabiliter ingeminat. Ergo ne bis periret pater, filiumque in idem secum exitium pertraheret, glaciei insidentem dimittit. Interea cum uterque à vicino littore opem frustra inclamassent, patri jam jamque mergendo Deiparentis in Heremo memoria subiit. Eius igitur quàmprimum voto facto auxilium imploravit, visus sibi exemplò est, cum demersus jam collo tenus esset, veluti suppetaneo, ne lacu hauriretur, sustentari. Longo tandem intervallo post exciti clamoribus vicini navem, quæ per viarum ambages remorante glacie advehenda erat, adduxere, hærentemque tamdiu collo tenus aquis, ut vel frigore obrigescere, perireque necessum fuisset, ad ripam unà cum puero saluum adduxere, uti non minùs de filij, quàm de sua lætantem salute, ita pro utriusque liberatione Deiparæ grates referentem.

XX.

TRIENNIO post manifestum æquè vitæ discrimen cum incurrisset Franciscus Engel-

Engelroth patriâ Buchovianus id Divæ Heremitanæ auxilio evasit. Salisburgi, ubi Theologiæ operam dabat cum tribus Salisburgensibus ex nobili Dücherorum ab Vrstain familia ortis adolescentibus, quos instituendos ipse ceu pædagogus domesticus susceperat, animi gratiâ navem conscendit. Vecti Iuvavio flumine Salsâ hodie, infelicis casu, facto naufragio tres omnes simul magnæ spei, ac præcipuæ nobilitatis lectissimi adolescentes fratres germani repenti hausti aquis cum ingenti suorum mœrore miserabiliter periere. Arreptâ fors Franciscus tabulâ, cum parùm tutum se, sed ad idem exitium undis involvi cerneret, magnâ fiduciâ præsidio Heremitanæ Virg. niti coepit. Quam ubi centum & nonaginta passus jactatus flumine fatigare precibus non destitit, ad ripam eâdem deducente salvus est appulsus: servatus eò maiori beneficio in vita, quò funestior, atque miserabilior adolescentum interitus acciderat.

XXI.

ELapso superiore quinquagesimo anno Iubilæo, Viennâ Auctriæ ab Reverendo, & erudito inprimis Patre Sebastia

bastiano à S. Vincentio è D. August. familia missæ litteræ miraculi memorandi testes. Earum hæc summa fuit. Emanuelum Widenman ab Catholica alienum Religione paucis abhinc annis dum militiam sequitur, equo Danubium trajcere conantem absorptum aquis & vorticibus haustum. Eum ubi extractum è flumine veluti exanimem Viennam deportassent, subito sibi redditum constanter affirmasse, videre sibi visum, quando cum fluctibus luctabatur, augusta specie, & splendido amictu insignem puerum, qui sibi adstans intento in aera digito Beatæ Deiparentis positum in gremio filium plangentis imaginem ostenderet, hortareturque simul Deiparæ, quæ in Helvetia coleretur, Heremo votum uti faceret. Quo cælesti ostento motus cum extemplò morem gessisset, sui compotem factum. Ejurata deinde hæresi orthodoxam amplexum fidem, eamque ad supremum usque spiritum constanter professum litteræ testabantur. Cujus rei ipse, quem supra nominavi, quique delicta confitenti aures dederat testis, testes eas litteras dedit. Appensa est è voto morientis, publicoque in loco

loco uti in Heremo extaret obsecran-
tis votiua tabula referens eam, quæ in
nubibus apparuerat imaginem: non
obscurum veluti monumentum Deipa-
ræ, salutis non modò corporis, sed animæ
quoque consulentis.

XXII.

SÆculari denique anno 1650. Instito-
res quidam Germani onusta mercibus
nave secundo Danubio Austriam pe-
tebant. Qui cùm sub noctem ad pa-
gum uno milliari Ratisbona distantem
substitissent, appulsam ad ripam Da-
nubij ratem, Iuvenis cujusdam Ein-
fisheimensis custodiæ commisere. At
ille, dum somno correptus obdormijt,
quidam è petulanti illo genere homi-
num noctivagus nebulo hærentem lit-
tori navem incisò fune petulanter ex-
solvit. Prono flumine per longum
spatium abrepto navigio evigilans tan-
dem custos navis, quo in periculo ipse
cum navi ac mercibus esset, pavidus
advertit. Ibiq; tum remigio impi-
grè incumbens navem adverso flumi-
ne agere retrò, vel ad ripam adverte-
re magno, sed irritò labore conatur.
Itaque dum frustra contra torrentem
nititur, jamque eò navigium appro-
perat,

undis obruta aquarum deinde vi & impetu, & devolutis ingentibus arborum truncis perruptæ Monasterij fores, torrensque intra effusus cænacula alluvione obsedit. Percussis repentino malo Virginibus, frustra que circumspectantibus fugam intumescensibus continuo undis de invocanda ope cælesti consilium Antistita cœpit. Votoque Virgini nostræ Inuncupato, eiusdem tutelæ Monasterium commisit. Et haud multò post remissa aquarum vis, & in suum se alveum fluvius recepit. Servatumque ab eluvione Cœnobium documento fuit Deiparæ præsidio nixam domum veluti in petra fundatam haudquaquam cadere, nec ab fluminibus obrui.

XXIV.

Eodem ipso Anno villicus quidam erat propè Cœnobium Grünvald in Hercinia Silva Christianus Brugger. Hic mense Augusto iter faciens equo vehabatur comitante eum, & pedibus subsequente matre. Vbi ad fluvium Guotrach venère, transeunte pontem matre, filius equo transmissurus flumen, aquis & vorticibus abripi, vastoque implicitus gurgite demergi cœpit. Ruptis per
subi-

subitum metum habenis jumento excussus inspectante in ripa, & cum eulatu oculis, lachrymisque prosequente matre flumine absorbetur. Cæterùm semel deinde è fluvio caput tollens, cùm subitò demersus iterum diu nusquam comparuisset, tum illa altiùs gemere, tollere supplices in cœlum manus, additoque precibus voto D. Heremitanæ periclitantem filium commendare. Eamque eòusque rogare supplex non destitit: quoad longo jam spatio jactatum flumine filium, ad saxum quod aquis altiùs eminebat, non quasi ad scopulum, sed velut ad portum delatum vidit. Vnde cùm salvus ad ripam emerisset, Dei Matri, quæ preces matris suæ exaudisset, coram in Heremo gratus extitit.

XXV.

Svb idem tempus Vdalricus Benz è Marchia ditionis Suietorum, ingenti defunctus periculo est interventu, & auxilio Virginis Heremitanæ. Vznachium, quod ad caput Tigurini lacus oppidulum est, cum quatuor alijs petebat. Dum apud arcem Grinay Lindemagum flumen, paulò supra, ubi in eundem deinde lacum Tigurinum se exo-

nerat lembo transmittere parat : seu quia onerata nimium , seu subitâ ventorum concussâ vi depressa schapha subitò : omnesque simul in flumen excussi. Emergenti deinde nonnihil naviculâ cum pro se quique nixi mordicùs adhærescerent , eversam denuò , & sæpe revolutam schapham tenentes inter obversantis metum mortis miserabiliter volutabantur, triginta , & amplius passus hærentes naviculæ flumine jactati. Duo ex illis nitendo tandem defatigati , atque succumbentes merfi aquis interiére. Iamque & Vdalricum obnixè luctantem vires defecerant : cum jam jam succubiturus vocem conjugis suæ , quæ pridem diem obierat, inaudire sibi visus : ne animo caderet , sed ad Divam in Heremo Virginem , cujus sacram ipse penes se imaginem haberet , ocyus votum converteret , opemque ab ea supplex efflagitaret, adhortantis. Cum monenti extemplò paruisset : votumque unâ cum faminarum alterâ , quæ lembo hærens luctansque supererat (nam altera cum virorum altero demersa perierat) Virgini nuncupasset,

tum

tum schapha, quæ mobilis antea con-
tinuò volvebatur firma repente, &
immota perstitit. Eductique ad ripam
ambo salvi, & incolumes exemplo fu-
ere, quanti sit in Deiparentis au-
xilio spem collo-
casse.

